

trouvés par Sadiete Majesté fort bons. Vous pryant, Monsieur, s'il y a quelque chose, pardeçà, de quoy réciproquement je vous puisse accommoder et servir, vouloir croire que l'effectueray d'aussy bon cœur que le scaueriés désirer. Quy causera finer la présente avec espoir que ung jour les occasions s'offriront de me pouvoir employer en choses où ma puissance se pourra étendre. Suplyant atant le Créateur, etc.

De Beaumont, ce dernier [du mois] d'octobre 1571.

(British Museum, Titus, B. VII, fol. 246.)

MMCCLXXII.

Mémoire adressé par le prince d'Orange à la reine d'Angleterre.

(NOVEMBRE 1571?)

Dissertation fondée sur le droit féodal et sur les privilèges des provinces belges, qui tend à démontrer que le prince d'Orange, à raison des hautes fonctions dont il est revêtu, est tenu par son serment de résister au roi d'Espagne qui a violé les lois du pays, et de prendre en même temps sous sa protection tous ceux qui veulent défendre leurs droits et leurs libertés.

Utrum Princeps Auracæ profugorum exercitum contra Albanum ac vero etiam Hispaniam possit suscipere.

Ad hanc quæstionem dissolvendam illud imprimis certum esse debet extra controversiam licere adversus vim ac tyrannicam oppressionem arma sumere ac vim vi refellere, cujuscunque rei nomine atque occasione vis inferatur. Eo enim institutus est a Deo magistratus, datusque illi gladius ut probos ab improborum violentia, etiam vi et armis, si necesse sit, tueatur. Nemo itaque potest dubitare quin rex populum sibi subiectum a vi atque oppressione alterius, sive magistratus, sive populi, sive privati cujusquam hominis, possit tueri ac vindicare. Imo vero nemo dubitat quin rex ad ejusmodi defensionem tum divino, tum humano jure obstrictus est nimirum quia legitimam habet a Deo vocationem, cujus judicia gerit, atque pro sua facultate exequi omnino tenetur, atque hoc, et certe in omnibus iis quicunque a Deo vocationem habent, certum atque exploratum esse debet. Itaque id unum relinquitur in quæstione utrum Princeps Auracæ habeat legitimam a Deo vocationem arma contra vim ac tyrannidem Albani Ducis sumendi? Etenim disputare hic utrum religionis causa possit armis vel defendi vel

prop [elli], prorsus est extra rem, neque magis ad superioris quæstionis decisionem pertinet, quam si quis de ceteris interrogatus respondeat de aliis. Nec enim id principis vel populi mens est ut religio armis defendatur, sed ut ii qui, causa et prætextu religionis, contra omne jus et fas, contraque omnes leges ac privilegia municipalia opprimuntur, et, cum de jure sistere non reeuent, eum ordines provinciæ ex more et instituto majorum atque ex omni æquitatis ratione cogi cupiant, et coram iis causam dicere possint, ac debeant contra manifestam vim ac inauditam tyrannidem a principe defendi, quæ vis quacunque de causa aut quocunque prætextu inferatur, certum est idem fore jus, eandemque rationem, itaque religionis vel tuendæ vel propagandæ respectus hic haberi non debet, nisi quoad vim quæ inferitur, religionis ac cultus divini nomine, eo gravior ac defensione vindictaque dignior censeri potest, quo cultus divini cura ceteris omnibus rebus et charior nobis esse debet et dignior. Quod enim de vindicta prohibita offertur, nihil facit ad rem, ea enim non modo in causa religionis, sed in omnibus aliis prohibetur, neque cuiquam homini vindictam licitam esse per se omnino statuimus; sed quæ a Deo mandata est vindicta, nullo modo censeri debet hominis vindicta, sed Dei. Dei enim judicia sunt quæ exequitur magistratus, non hominum. Dei enim, non suæ cupiditatis minister est. Itaque videndum est hoc unum : an Deus ad hoc munus Principem Aursiæ vocari? Primum quidem certe illud indubitatum est Principem Aursiæ in Belgio ejusmodi magistratum esse, qui jurisdictionem seu jus gladii habeant. Imprimis quidem quia sit Burehgravius civitatis Antverpiensis, non beneficio principis, sed jure hæreditatis, ita ut hoc jus non minus sit ei proprium, quam principi esse Ducem Brabantia: Burehgravia: autem munus est civitatem contra omnem vim ac tumultum tueri ac providere in summis periculis ne quid detrimenti civitas capiat. Cum autem hoc jus non habeat beneficio principis, sed potius ex jure Imperii, ejus est Antverpiæ Marchionatus, debet profecto contra regis voluntatem suum munus exequi. Deinde vero etiam jure hæreditario est unus ex primis ordinibus non modo Brabantia, sed etiam totius Belgii. Ordines autem supra principem esse, eoque institutos ut principis vim ac tyrannidem, si necesse sit, coercerent, etsi extra dubitationem est, tamen mox a nobis clarius suo loco probabitur. Hic tantum hoc agimus ut constet Aursiæ Principem esse magistratum. Præterea habet munus gubernationis seu legati Hollandiæ et Zelandiæ, quod munus etsi accepit a principe, haud tamen ita eum potest principi obligare quin multo magis ipsi populo obligetur. Quod ex jurejurando præstito facile potest probari, quo, post fidelitatem regi earum regionum ejus imperio retinendarum promissam, imprimis se obstringit administraturum euique suum jus ac plebem contra omnem vim ac tyrannidem esse defensurum. Deinde facile patet ex ipso principis seu regis jure, nec enim potest in legatum jus transferre, nisi id quod ipse habeat : non autem habet in populum supremam potestatem, sed primum legibus institutis, consuetudinibus ac privilegiis, deinde comitorum decretis ac sanctionibus, procul dubio,

subjeitur. Item, eum idem jus in legatum suum transferat, sequitur legatum imprimis ac primario subjei constitutionibus populi ac populo ac ejus juribus etiam magis quam principi obligari. Præterea eo nomine Princeps Auraicæ magistratus censeri debet quod, jure Aurei Velleris in Principis seu Ducis Burgundiæ societatem acceptus, ad rempublicam in omni æquitate ac justitiâ administrandam ac privilegia, libertatemque populi tuenda juramento obstrictus est. Cum itaque principem Auraicæ magistratum esse ac potestatem gladii habere constet, videndum est an ea potestate contra superioris magistratus voluntatem ad tuendum populum uti possit. Certe Paulus aperte declarat omnem potestatem esse a Deo, nec enim minus ordinationi Dei resistit, qui inferiori magistratui resistit, quam qui superiori. Idemque Paulus ait : omnem potestatem esse ministram Dei. Non igitur simpliciter sunt ministri superioris magistratus, ut ejus libidini ac voluntati pareant, sed ministri Dei, ut quod bonum est, quatenus eorum vocationis limites patiantur, nullo habito vel superioris vel inferioris magistratus respectu, exequantur. Ait idem Paulus gerere gladium ut malos uleiseatur ac bonos tueatur. Quod si igitur superior magistratus velit honos opprimi ac malos sua maleficia impune exercere, sane inferior magistratus nihilo minus suum officium Deo præstare (a quo in eum finem est ordinatus) tenetur. Petrus etiam aperte jubet primum quidem obsequi regibus ut superioribus, deinde ut gubernatoribus seu rectoribus tanquam ab ipso Deo missis ad ultionem improborum et honorum laudem. Quod si igitur inferiores magistratus (ago tantum de illis qui gladii functionem et justitiæ administrationem jurati acceperunt) ab ipso Deo, et quidem in eum finem ut improbos uleiseantur, missi sunt, quis dubitabit quin debeant, in Dei præceptum, non habita ratione superioris magistratus, qui proprie eos non instituit, respicere? Et sane, quoties superior magistratus inferiori sua cuique munia distribuit, haud sua auctoritate id facit, neque illis quas ipse vult leges præseribit, sed auctoritate Dei ac legum, quibus minus ipse superior magistratus ac ceteri omnes jure naturæ subjei sunt; nec ipse illis quid justum vel injustum sit, ex arbitrio præseribit, sed re ipsa ex verbo Dei et legum decreto justum esse constat, id vero jubet exequi, eoque illo sancto juramento obstringit, itaque non suos ministros, sed justitiæ, sed legum ministros facit. Quod sane ex ipsa magistratuum institutione facile apparet; nam, si per imbecillitatem humanam unus omnia præstare possit, nequaquam fuerit necesse alios aliis adjungi ad ministros, adjutoresque. Ille enim unus, a Deo semel institutus, Dei legem exequi in officio administrando teneretur. Cum autem fieri nequeat, voluit Deus ut ille unus sibi constituerit ministros atque auxiliares, qui Dei legem haecenus pro se exquerentur, quoad illi uni per humanæ naturæ infirmitatem id minus liceret. Id ita se haberi confirmatur exemplo Mosis, qui, consilio Aaronis parens, iudices, principes, magistratus instituit, qui populum regerent ac jus dicerent, non ex præscripto aut arbitrio suo, sed ex verbi divini ac legum præscripto : jubet enim eos Moses extremisecere quominus functionem

suam ac munus rite ac legitime exequantur. Josaphat etiam rex, constituitis iudicibus ac magistratibus, edicit non gerere eos hominum iudicia, sed Dei. Non sunt igitur regis iudicia quæ inferioribus magistratibus ac iudicibus demandantur, sed ipsa Dei iudicia. Quamobrem, si gladii potestatem ac functionem a Deo iurati acceperunt, debent profecto eodem gladio in muneris sui executione uti, nulla habita ratione vel inferiorum vel superiorum, neque ejusquam auctoritatem revereri, quominus quod polliciti sunt et ad ejus rei functionem vocati sunt, præsent. Cum ita magistratus juramento se obstringit ad populi defensionem, legum atque æquitatis tuitionem, privilegiorum et libertatis conservationem, et ad id munus gladio civili armatur, debet profecto eum gladium stringere in eos qui leges, æquitatem et populi libertatem conantur violare. Qui, cum illi sunt etiam contra principis superioris voluntatem, non secus profecto quam quibus cultus divini cura commissa est et ad muneris sui functionem gladio verbi armati sunt, debent eundem illum verbi gladium quo a Deo armati sunt, in omnes stringere quicumque cultum Dei violant, quicumque tandem illi sint aut quacunque dignitate sint præditi. Et sane illud est gentium omnium ac populorum jure exploratum, magistratus, sive sint supremi sive inferiores, modo sint gladio ad justitiam administrandam, legesque custodiendas armati, non esse principis superioris magistratus, sed reipublicæ et legum magistratus. Nam, etsi vocantur officarii regis, propterea quod regis voce ad id muneris vocati sunt, non tamen regi proprie, sed legibus ac justitiæ obstricti sunt. Munus enim eorum non a rege datur, sed a legibus. Leges autem reipublicæ non regum aut principum causa proprie inventas et constitutas esse, nemo est qui ambigat. Atque hinc est quod in ejusmodi dignitatibus ac muneribus non succedat hæres, quemadmodum in ceteris feudis, nisi sit investitus, quemadmodum præclare a Baldo responsum est, in titulo de feudis marchie, ducatus et comitatus. Propterea nimirum (inquit Baldus) quod istæ dignitates cum jurisdictione sunt reipublicæ et apud ipsam rempublicam, et sicut radii solis non possunt separari a sole, sic jurisdictio non potest separari a republica unde orta est et ejus causa vigorem suum obtinet. Ideo et ex auctoritate Innocentii idem Baldus statuit civitatem Senarum non esse civitatem Imperatoris, nec Bononiam civitatem esse Romanæ Ecclesiæ, licet ei subiecta sit, sed esse civitatis atque universitatis. Nec enim princeps aut Ecclesia quicquam ibi habet auctoritatis, inquit, nisi tanquam republica, ejus reipublicæ imaginem et nomen gerit, ac propterea concludit quod Imperator esset quasi tyrannus, si non tanquam republica se gereret, ut etiam alii reges qui privatæ suæ utilitati negotiantur. Quia, inquit, prædo est, qui non utilitati domini, sed propriæ studet, *Tit. De negot. gest., l. si pupilli § 2.* Itaque juris indubitati est, quemadmodum idem Baldus concludit, omnes dignitates quæ gladio et jurisdictione armatæ sunt, esse munera reipublicæ, non principis, etiamsi sese a principe nomine reipublicæ conferantur et in principis manus nomine tantum reipublicæ jurejurando se obstringant. Quod sane jure naturali ita se habere docet omnium regum et

magistratum institutio, qui primum quidem a populo electi sunt ut ejus saluti contulerent et jus suum cuique administrarent. Populus hac una conditione in illos contulit juris potestatem, eisque propterea vel senatum vel ex populo delectos adjungit, ex quorum consilio atque auctoritate reipublicam administrarent. Quod postea elegendi senatus munus in multis civitatibus ac rebus publicis etiam est in principem collatum, sed non aliter profecto quam quemadmodum ex Baldo annotatum est, ut princeps reipublicæ corpus representet. Ideo enim senatum illi atque alios magistratus adjungi certum est, ut legum auctoritatem etiam contra ipsum principem teneant. Legem enim, saltem eam quæ non sit juris positivi, sed naturalis, esse supra principem, nemo unquam sanus dubitavit, cum ex legis decreto et propter legem creatur princeps, neque ullam nisi ex lege dignitatem obtineat. Jam autem legum custodes ac vindices esse magistratus omnibus quicunque jurisdictionem obtineant, est extra controversiam, quemadmodum est a Platone in libro *de Legibus* præclare definitum. Quamobrem perspicuum est magistratus qui gladio et legum decreto armati sunt, non principis, sed reipublicæ ministros, etiam contra ipsos principes, esse debere. Atque hinc est quod lege Duodecim Tabularum ita apud Romanos sancitum erat: *Salus populi suprema lex esto*. Et sane ad populi salutem, non modo omnes leges, sed etiam omnes magistratus semper referbantur. Nam, propter quod difficile plebs convenire possit, populus certe multo difficilior. Tantæ turbæ hominum necessitas ipsa curam reipublicæ ad senatum deduxit, quemadmodum ait Pomponius in titulo: *De origine juris*. Quid? quod in illo ipso tempore cum regis potestate urbs gubernaretur, tamen regibus non modo senatus fuit adjunctus, sed etiam a populo in decurias diviso leges curiæ sanciebantur, et reipublicæ cura per summas curiarum populi expediebatur. Et denique Tribuni Celerum regibus adjungebantur, qui equitibus præerant et veluti secundum locum a regibus obtinebant: quo in numero fuit Junius Brutus, qui regem pro libidine agentem contra leges summa sua cum laude eiecit. In eorum deinde locum dabantur dictatoribus a quibus tamen nulla erat provocatio, magistri equitum, et succedente tempore Imperatoribus præfecti prætorii et tribuni equitum, qui nimirum Imperatorum ac principum tyrannidem legum ac senatus auctoritate coercerent. Hinc est quod Neronem senatus hostem judicavit et more majorum puniendum esse censuit. Hinc etiam est quod Trajanus Imperator, cum Suræ Licinio tribunatum militum traderet, eique porrigeret paragoniam: Talem, inquit, ense accipe, quam pro me ita demum stringas si juste imperavero, quod, si perperam quidquam per me fieri cognoveris, eo in perniciem meam utere. Et sane plena est exemplorum tam sacra quam prophana historia, quibus ab inferioribus magistratibus ac populo regibus ac summis principibus restitum est. Persæ regem suum Habadem regno dejecerunt, quod legem tulisset de non vindicandis adulteriis, nisi si quæ publica essent. Notum est Persarum Satraparum factum, qui Sardanapalum non modo regno, sed vita privarunt, quod indignum se regno gereret. Satrapæ Nebuchad-

nazor regem suum egerunt edictum pro eorum arbitrato proponere. Romani regem Tarquinium expulerunt, Decemvirorum magistratum abrogaverunt. Germani Fredericum Tertium, alio Imperatore creato, deposuerunt. Galli Childericum regno abdicarunt. In Anglia sæpe reges suos capite punierunt. In Scotia, ex nobilitatis atque ordinum decretis, regi munus suum atque imperium præfinitur. Breviter, omnes apud populos, id semper indubitati juris fuit vel multitudinem ipsam vel ex nobilitate delectos aliquot vel certos judices etiam in summos magistratus hæcenus imperium habuisse, quoad illi legum edicta per vim et tyrannidem violarent. Et vero etiam, apud Romanos imperatores, cum eorum arbitrio pæne cunctus orbis subjectus esset, ita ut immoderata atque effrenis potestas monstra hominum potius quam homines ederet, tamen ita fuit comparatum ut, tametsi potentia atque audacia militum plerumque plus potest quam lex aut ratio, hic nichilominus honos senatui haberetur ut ejus nomine atque auctoritate princeps eligeretur et, si necesse esset, coerceretur vel imperio abdicaretur, quemadmodum in Nerone, nonnullisque aliis factitatum legimus. In Belgio autem nemo nescit iis conditionibus ac legibus inaugurari principem, non ut sit rex vel tyrannus, sed vel ducis vel comitis titulo leges patrias observet ac tueatur. Summa autem potestas sit penes ordines atque ordinum comitia. Hinc est quod omnibus sæculis a ducibus Burgundiæ sive Belgii principibus impune licuit ad provincialia consilia seu parlamenta appellare, imo et ipsos principes eorum ejusmodi senatu in jus trahere, ita ut non raro usu venerit, nec vero etiam ita pridem, ut a Flandriæ Consilio seu Parlamento capite damnati sunt, quos Flandriæ Comes maxime volebat esse salvos. Illud etiam est extra dubitationem Belgii principem non posse contra leges et instituta patriæ vel leges condere vel privilegia alia cuiquam concedere, ita ut, in permultis Belgii locis, præsertim in Hannonia, Brabantia, Flandria atque Hollandia, infinitis prope exemplis nostra ætate confirmatum sit privilegia quæ princeps contra morem majorum ac patrias leges concesserit, pro irritis ac nullis habita et judicata. Et quidem usque eo ut neque legem condendo, neque privilegium concedendo, et nequidem si diserte exprimat : *Non obstantibus legibus aut constitutionibus contrariis*, ejus rescripta contra consuetudines ac jus commune Hannoniæ ac Brabantiæ et aliorum nonnullorum locorum vim ullam obtineant. Et vero etiam, quod multo magis est, haud fuit unquam principi licitum rescripto aut privilegio cuiquam concedere supremam in territorio aliquo jurisdictionem, nisi expresse consentientibus provinciæ ordinibus. Ita quidem, ut in Brabantia annalibus relatam sit Ducem quemdam qui templi structuram in Brabantia sine consensu ordinum inchoarat, fuisse prohibitum ceptum opus perficere, statutumque ut in perpetuam rei memoriam structura ita imperfecta maneret. Hinc etiam est quod a Tribus Flandriæ Membris seu ordinibus ad comitia congregatis, cum ageretur de Maximiliano Imperatore ex custodia dimittendo et pace cum Galliarum Rege ineunda, ceteris totius Belgii ordinibus seu statibus, tanquam indubitatum axioma cuique a nemine reclamaretur, per tribunum plebis seu pensionarium Gandavensem

inter ceteros articulos propositum fuerit eunetam Belgii provinciam habere per se potestatem indubitatis ac certis privilegiis concessam, quocunque tempore vellent, fœdera ac pacta publico jure ac rata facere in utilitatem reipublicæ ac prohibere ne suis privilegiis, libertatibus atque immunitatibus ullum detrimentum afferatur, ullave fraus fiat, etiam non expectato principis consensu. Simul et pro indubitato sumunt licere principis injustitiæ vi palam resistere, eidemque etiam, si necesse sit, imperium abrogare: quod, præter externa exempla Romanorum, Gallorum et Germanorum, etiam suis domesticis confirmant, nimirum Arnoldi Simplicis ac Roberti Normanni, Comitum Flandriæ, qui suo principatu et imperio a civibus olim fuerunt abdicati. Quod insuper etiam ab iis confirmatur jure vasallorum quod discrete cavetur: Quemadmodum vasallus tenetur domino feudi fidelitatem præstare, ita contra dominum vasallo obstrictum esse ut jus ac æquitatem administret ac sine justa vi eum in pace ac tranquillitate teneatur. Quod si non fecerit, liberari vasallum ab omni obedientia atque ab obsequiis promissis: est enim in feudorum conditione juris indubitati, ob quas causas vasallus feudo privetur, ob easdem privari dominum feudi proprietate, eandemque esse utrinque fidelitatis jurandæ formam jure civili disertissime describitur. Quod jus a Baldo jurisperitorum facile principe, *Sanctum jus* appellatur: dicit enim juris apertus textus quod, in quibuscunque vasallus debet esse fidelis domino, in eisdem dominus debet fidem vasallo: alioqui dominus judicabitur maleficus. Jam autem et illud est extra controversiam non alio jure Flandriam atque Artesiam ac ceteras Belgii provincias, quæ quidem certe Imperio Romano subjectæ fuerunt, ad Ducem Burgundiæ devolutas, quam jure patronatus aut jure feudi: quod potest infinitis et pactorum et bellorum gestorum exemplis facile declarari. Est enim rerum Flandricarum monumentis proditum sæpe Flandriæ civitates suos comites privilegia vel leviter infringere tentantes abrogasse atque expulisse, sæpe etiam cum regibus Gallorum ad quos summum jus patronatus pertinebat, bella gessisse et ad Angliæ reges defecisse, neque aliter quam certis pactis et conditionibus sese iterum in Gallorum clientelam condidisse. Accepimus etiam, eum Philippo, regum Galliæ et filio et fratri, Duci Burgundiæ, rebellassent Gandavenses ac tandem gravi et diuturno bello domiti in ejus potestatem rediissent, fuisse iterum reconciliatos ea conditione ut suis legibus ac privilegiis viverent, et singulis prope pacis conditionibus atque capitibus eam clausulam fuisse adjectam: *Salvis cujusque civitatis privilegiis ac juribus*. Quod idem in ea pacis transactione factum est, quam cum Imperatore Maximiliano Gandavenses simul et Burgenses inierunt, et sane Gandavensis civitas omnibus retro sæculis magna vi atque potentia suam libertatem semper tutata est, ita ut veteri majorum more ac jure ad unius campanæ signum semper triginta virorum millia soliti fuerunt in armis sistere. Huic etiam pertinent prisæ illæ a majoribus acceptæ fratriarum consuetudines, quibus civitates Flandriæ ac Brabantiae suos cives in armis, quoties opus esset, instructos haberent. Quæ sane consuetudines

alia sagittariorum antiqua consuetudine, qua solent ex singulis provinciis pro more majorum cives convenire et sese jaculando, aliisque bellicis artibus exercere, confirmantur. Burgenses etiam profecto, ceterique Flandri non aliter fidem principi ac jusjurandum præstant, nisi ipse prior illis jurarit sese ex jure et legibus eum illis acturum, omniaque eorum privilegia, jura ac formam judiciorum usitatum observaturum. Nam, de Brabantia quid attinet dicere, ejus pacta atque conditiones quibus principem suum accipiant, hodie manibus omnium teruntur, inter quæ permulta sunt memorabilia quibus aperte potest declarari Regem, cum hac Inquisitorum tyrannide atque acerbitate edictorum, quæ, contra datam fidem et pacta jurata, non adhibita Ordinum observatione, facta sunt, nos premit, fidem et promissa aperte violasse, ac proinde, pro more majorum, ab Ordinibus ac magistratibus inferioribus non modo posse, sed etiam debere coerceri? Illud etiam imprimis memoratu dignum est, quod articulo quinquagesimo octavo aperte continetur, in quo princeps, si superioribus articulis, capitibus, gratiis, privilegiis atque confirmationibus quoquo modo vel ipse contraiverit vel ire permiserit, quæcumque occasione aut quocumque tandem modo id fiat, sive in totum, sive pro parte, jurat se consentire ac concedere omnibus prælatis, baronibus, equitibus, civitatibus, mancipiis atque aliis omnibus subditis, tum universis generatim, tum etiam singulis singillatim, ut neque sibi principi, nec omnibus hæredibus ac posteris, in ulla causa quam petierit aut imperaverit, tantisper obedientes sint in dicta, donec eis, quoad superiores articulos et capita, plene atque adamussim satisfecerit, in eamque rem statuit, ac reipsa ac de facto decernit omnes magistratus, jam ab eo ipso tempore juramenti præstiti, quicumque in fraudem ejusec joeundi introitus instituerentur, nullos esse ac deseri ab omnibus debere, atque omnia quæ ante juramentum præstitum attentata, factaque sunt in fraudem ac præjudicium eorum quæ ante dicta sunt, pro nullis atque irritis habere, neque vel debere vel posse in sequenti tempore observari. Quo quid potest ad omnem hanc controversiam diluendam dici planius, cum hic aperte paciscatur ac stipuletur subditos non esse illi obstrictos ad ullum obsequium et observantiam, nisi quoad et quatenus jurata a se privilegia ac jura libertatis plene, perfecteque rata atque integra esse patitur et sarta tecta tuctur. Pacta autem esse juris gentium nemo ambigit, ita ut iis princeps, rex aut imperator nihilominus teneatur quam quilibet ex vulgo vilissimæ conditionis. Deinde, cum sit hoc pactum conditionale ac mutua stipulatio, sane indubitati juris est, cessante conditione, etiam cessare obligationem: quod non modo in pecuniariis, sed omnino in omnibus contractibus locum habere debet, ac potissimum in iis quæ populo ac universitati alieni per stipulationem permittuntur, quemadmodum omnium regum ac rerumpublicarum, in quibus ejusmodi pacta conventa sunt, exemplum sit perspicuum. Nam non modo statuta, sed etiam privilegia quæ in contractu transeunt, non posse revocari, certi juris est. De Hollandis atque Hannoniensibus, quorum se palatinum vocat princeps, certum est etiam prope majori jure libertatis semper

usos fuisse, cum et hodie certum sit Hammonienses, propter nulla principis rescripta, vel tantillis suis consuetudinibus neque solere, neque debere recedere. Hollandi autem semper id potestatis habuerunt ut, quoties vellent, non consulto principe, Ordines non modo Hollandiæ, sed etiam cunctæ Belgiæ provinciæ cogere et de rebus ad rempublicam pertinentibus, quod illis videretur statuerent. De ceteris quæ sub Imperii jurisdictione ante ad Caroli Quinti tempora fuere, nihil attinet dicere. Certum enim est non alia conditione venisse in Cæsaris potestatem quam ut suis legibus atque institutis viverent, et eodem libertatis jure quo sub Imperio usi erant, posthac semper uterentur. Quare quæcunque hic possint afferri ex Scriptura, quod obediendum sit dominis improbis et principibus tyrannis non sit resistendum, nihil ad rem præsentem faciunt. Qui enim dominis subjecti erant, jure mancipi erant subjecti. Qui etiam olim vel Romano imperio vel Nabuchadoloris jugo, cui subesse populum suum vult Deus, erant subjecti, vi certe et armis subjugati jam servi facti erant, et habebat in eos dominus vitæ et necis potestatem, itaque poterat quicquid adluberet in eos statuere, neque amplioreni iis libertatem quam vellet, concedebat. Omnia enim eorum bona, liberi, conjuges ac ipsa denique vita ejus liberalitati et beneficio debebant accepta ferri. Nos contra longe alio jure utimur. Princeps, præter sua regalia, nihil habet in nostris rebus, quod suo jure possit sibi vindicare. Si quid amplius velit a nobis auferre, id est illi precibus impetrandum. Ad eam enim rem convocat provinciæ Ordines, in quos omnem suam potestatem contulit populus, et in quorum numero, tribuni plebis, qui pensionarii hodie dicuntur, non minimam potestatem obtinent. Ab iis precario quod cupit, exigit. Et sane nostra quidem ætate, majorum vero temporibus præcipue, ei aperte negatum fuit, sæpe etiam certis conditionibus indultum est, neque ullam sibi propterea injuriam fieri existimavit. Legimus sane in historiis, cum Maria Brabantæ ducissa Regi Galliæ Carolo Sexto, ad ejus fratrem Philippum Burgundiæ erat perventurus Brabantæ ducatus jure hæreditario, per Brabantiam transitum cum exercitu quo in Geldriam parabat, expeditionem concessisset, ordines obstetisse atque aperte denunciassent se nulla id ratione permissuros, et, si fieret, ne tantillum quidem in id bellum contributuros. Quid? quod, hac nostra ipsa ætate, cum Rex in Hispaniam contenderet et, Hispano milite præsidiis relicto, collectam fieri poposeisset, accepit responsum ne tantillum quidem oblaturum esse, nisi præsidia hispanica ex urbibus atque arcibus deduceret: quod, etsi admodum gravate, tamen facere certe coactus est. Quid? quod etiam aperte paciscitur Dux Brabantæ sese sine Ordinum et civitatum libero consensu, neque cuiquam moturum esse bellum, neque pignora erepturum, neque monetam eusurum, neque bello parta restitutum, nec denique quicquam æturum, promissurum, obsignaturum, quod Brabantæ incolis, civibus ac civitatibus, vel eorum cuiquam, vel denique eorum libertati, privilegiis ac juribus fraudi esse quoquo modo possit. Præterea scimus olim victores Romanos et Babilonios populis a se devictis eas leges, eas juris dicendi formas,

eos denique magistratus quos vellent, dedisse. Nos contra nostris legibus, nostris judiciis, nostris magistratibus nitimur, neque antea principi fidem juramus quam suo jurejurando vicissim id jus nobis confirmari, ratumque fecerit, ita ut nostra ætate viderimus, cum Imperator Brabantiae civitati cuiusdam flandrum magistratum imposuisset, postea ex Ordinum petitione ac legum a se juratarum decreto, tametsi invitum, magistratum eundem abdicasse. Idem postea in Flandria et nominatim Gandavi, ubi Dominus de Quereu, Megani avunculus, natione Brabantus, civitati præfectus fuerat, factitatum esse vidimus. Itaque non sic judicandum ex generali atque ordinaria magistratum ac principum potestate, sed ex præscripto pactorum atque conventorum quæ cum principibus ineuntur. Cum itaque planum sit Regem Hispaniæ pactis non stetisse et non uno modo, sed modis infinitis, contra præstitum juramentum et fidem datam venisse, magistratus, ex micro imperio, pro suo arbitratu, contra leges patriæ ac instituta, creasse, edicta prorsus tyrannica et contra omnem legum ac judiciorum ordinem edidisse, civibus audientiam denegasse, in vassallos feloniam (ut vocant) multis modis commisisse, in eorum facultates, dignitatem et vitam per vim invasisse, populum contra pacta jurata, contra omnem judiciorum ordinem, tractavisse, privilegia violasse, libertatem oppressisse, magistratibus extraordinariis atque ecclesiasticis, contra morem majorum, contra superiorum principum edicta, contra sui jusjurandi fidem, eos subjecisse, nemo sane dubitare potest principem Auriacæ, ceterosque omnes quibus ejusmodi facta est injuria, ab ejus omni jurisdictione, atque sic, tum divino, tum humano jure, tum et ex formula stipulationis, liberos atque exemptos, donec eos restituerit in integrum et promissis suis plene ac per omnia satisfecerit. Cum autem princeps Auriacæ sit legitimus magistratus gladio a Deo armatus in honorum laudem ac defensionem justitiæ ac æquitatis administrationem, legum tuitionem, violentiæ ac tyrannidis repressionem, et vero sit magistratus populi ac reipublicæ minister, cui etiam jurejurando sit obstrictus, cum et Ordinum non modo Brabantiae, sed totius Belgii sit caput aut certe præcipuum membrum et Senatus primi a quo ceteri omnes senatus dependent, senator primarius, cum præcipuus civitatis Antverpianæ jure hæreditario sit Burehgravius, præcipuarum provinciarum Hollandiæ et Zelandiæ prætor ac gubernator, et denique ab infinitis vassallis qui, propter feloniam multis modis in se commissam, fide sua liberati sunt et per summum nefas sine ulla juris forma suis feudis spoliati, et etiam a populo libero contra omnem æquitatem ac juris formam, cuique omnis audientia denegetur, vim passo, ac per tyrannidem non modo privilegiis ac libertatis juribus spoliato, sed etiam exuto bonis omnibus, patria expulso, poseatur in vindicem libertatis ac redemptorem oppressi populi, sane nemo amplius dubitare potest quin et voce divina et humana ad id munus rite vocatus sit, et pro ea vocatione sane quam legitima ad vindicandam populi libertatem, legum auctoritatem restituendam, judiciorum formam instaurandam, vim a suis civibus et popularibus expulsandam, tyrannidem exterorum hominum reprimen-

dam, vassallos in feudorum jus ac possessionem restituendos, optimo jure arma sumere non modo possit, sed etiam pro suo officio ac munere, pro suo jurejurando, pro eo loco quo natus est, pro ea dignitate ad quam a Deo, a legibus, a nobilium et vassallorum ordine, a populo vocatus est, omnino teneatur, simulque omnes ii, qui patriam, qui libertatem, qui justitiam et æquitatem, qui religionem, qui suas fortunas, qui amicos, parentes, socios ac fratres sævissimo tyrannidis jugo oppressos, qui Christi membra, qui suos liberos, suas conjuges, suam denique vitam atque omnia salva esse cupiunt, et Deo jam ad redemptionem ex hac misera servitute et tyrannica oppressionem classis eanenti nolunt contumaciter repugnare, teneantur pro suo officio, proque obedientia quam Deo, quam patriæ, quam legibus, quam principibus ac magistratibus debent, principis conatibus, pro sua singuli vocatione, adesse, omneque auxilium atque opem, quoad ab eis fieri potest, præstare.

(British Museum, Galba, C. III, fol. 378, et C. IV, fol. 593.)

MMCCLXXIII.

Av'is des Pays-Bas.

(BERG-OP-ZOOM, 3 NOVEMBRE 1571.)

Nouveaux détails sur la bataille de Lépante. — Nouvelles d'Espagne et d'Italie. — Levée du dixième denier.

The battell between the Christians and Turks was fought at Prevesa in the Morea, and the army are gone on part to ye reseue of Famagusta in Ciprus, which was untaken the 4 of september, as the letters of Grese and Constantinople relate.

It is thought also the Christians will attempt taking of Bugia as plas of great importants. The Christians had the victory.

The Turks intended nothing lesse then a battell, for the Christians gave out they would not fight, but defend this year, being indeed secretly resolved to fight, to which the Venetians rather eam constrayned then willing, but did fight well. Don John de Austria and Mark-Anthony Columna, his lieutenant and generall of the Popes galleys, gave the first onset.

From Spayn is dayly looked the newes of the Queens delivery.

The flet of this contry is stayed in Spayn.